

14879

ASSERTIONES
THEOLOGICÆ

ex

Cap. secundo Epistolæ ad Romanos

quas

DEO benè juvante,

PRÆSIDE

JOHANNE GERHARDO SS. THEOL.

D. & P.P.

pro virili tuebitur

M. JOHANNES PHILIPPUS Göt̄ Fridbergâ-Wedderavius,

ad diem Augusti.

JENÆ,

TYPIS ERNESTI STEINMANNI.

Anno 1736.



Exeg. C.

331, 23



Postquam Apostolus à v. 18. cap. 1. usq; ad finem gentiles peccati accusaverat & convicerat, in hoc secundo capite Judæos ejusdem arguit & convincit, unde v. 17. nominatim Judæum compellat.

2. Nec tamen desunt, qui statuunt, Apostolum adhuc in accusatione gentilium occupari usq; ad v. 17. hujus capitis. Postquam enim in cap. precedente manifestos & notorios peccatores ex gentilib. accusaverat, jam porrò in priore hujus capitis parte hypocritas perstringit, qui externam quidem locomotivam honestè regebant & atrociora illa delicta in aliis arguebant, interim tamen venenatam peccati radicem in corde circumgerebat, ac interiùs eadem peccata perpetrabant, sicq; proprio judicio sese condemnabant. In quam sententiam propendet Conzenius.

3. In verbis Apostoli, *ὃς ἑἰς ἑαυτὸν κρίνει τὸν ἑταίρον, ὁ αὐτὸς κατηγγέισται*, est pulcherrima paranomasia. In quo alium temerè judicas & damnas, teipsum condemnas. v. 1.

4. Verba illa, *ὁ ἑἰς ἑαυτὸν κρίνει τὸν ἑταίρον* vulgata reddidit, Eadem enim agis que judicas. Sed in Græco est, qui judicas. Pererius disp. 1. p. 129. pro defensione vulgatæ versionis frustra obvertit, hanc lectionem esse antiquam, ut credibile sit, utramq; lectionem fuisse in libris Græcū.

5. Anabaptistæ verbis hisce abutuntur ad destruendam Magistratus politici & publicorum judiciorum autoritatem. At per *ὁ ἑἰς ἑαυτὸν κρίνει τὸν ἑταίρον* hoc loco non intelliguntur Magistratus divinitus ad judicandum constituti, sed hypocritæ, qui per propriam justitiam coram Deo consistere quærunt, peccata sua interiora non agnoscunt, adeoq; in aliis damnant, quod ipsi et faciunt, intus sc. in corde, si non foris in opere.

6. Ex eo, quòd *judicium Dei* dicitur esse secundum veritatem, colligit Stapletonus in Antid. falsò à nobis doceri, quòd concupiscentia prava in renatis adhuc manens sit peccatū. Sed distinctio inter peccati materiale & formale dubium tollit. v. 2.

7. Ex eodem Bellarm. lib. 2. de Justif. cap. 3. & Conzenius

q. 2. in v. 2. tale nectunt argumentum: *Judicium Dei est secundum veritatem. At justificatio per imputationem non est secundum veritatem. Ergo justificatio per imputationem non est vera justificatio. At funiculus hic est ex arena. Aliud enim est justitia imputata, aliud justitia putativa.* Stapletonus in explicatione hujus argumēti nobis tribuit, quod statuamus: *hominibus perpetuò peccantibus, & quidem mortaliter peccantibus, imputari Christi justitiam per fidem.* Sed hæc est calumniosa nostræ sententiæ detorsio. Negamus cum verba fide peccata actu mortalia consistere posse.

v. 3. 8. *Fulmen hoc est, inquit Conzenius q. 1. in v. 3. quo fiduciarie præsumptionis tota moles dissipatur. Sed contra fiduciam piorum est brutum fulmen, contra fastuosam præsumptionem vibratum nos non ferit.*

v. 4. 9. *Ex eo, quod bonitas Dei ad pœnitentiam peccatores ducit Stapletonus in Antid. & Conzenius q. 4. in h. v. eo operationem liberi arbitrii cum gratia in actu conversionis probare frustra satagunt. Concedimus, peccatores libera electione tali gratiæ, quæ ad conversionem illorum fuit ex se & per se sufficiens, resistere posse, quod Stapletonus urget, sed ex eo nondum sequitur, quod naturalibus liberi arbitrii viribus possint gratiæ cooperari & assentiri. Concedimus & hoc, quod Conzenius urget, culpam eorum, qui vocationi non parent, in solam cordis duritiam & pravitatem conferri, sed ex eo itidē inferri nequit, quod in quæstione hic versatur.*

10. *Absolute autem reprobationis decreto, quod Calviniani propugnant, meritò hoc opponitur, quod bonitas Dei etiam illos ad pœnitentiam invitet, qui per duritiam cordis iram Dei & pœnas sibi accersunt. Argumento huic non satisfacit Pareus per distinctionem inter voluntatem approbationis & effectio- nis. Etiam illorum, inquit, conversionem & salutem Deus seriò vult, quos non donat pœnitentiã, sed voluntate approbationis, non autem effectio- nis, si enim sic vellet, horum conversionem efficeret. Sed non efficit, non ergò vult efficere. Resp. breviter, non vult efficere absolutè, sed per certa media à se ordinata.*

11. *Benedictus Justinianus in comm. p. 104. cõcedit, omnes Græcos Codd. habere εὐνοῖαν, & tamen legendum esse statuit, ignoras quia Codd. Latini & Romana editio sic vertunt. Præposterus hic est erga vulg. vers. affectus, quem recentiores Codd. Latini corrigunt, legentes juxta textum Græcum, ignorans.*

v. 5. 12. *Pererius disp. 2. p. 141. perstringit hæreticos nostri tem-*

poris, affirmantes nō esse in potestate hominis bene vel male agere, sed ad utrumq; à Deo impelli & necessitari. Cui hypothefi opponit δικαιουσιαι τῷ Ἰη. Eandem orbitam terit Conzenius q. 2. in h. v. Δικαιοσυρία τῷ 9. inquit liberum in nobis arbitrium esse docet. Si enim non est liberum arbitrium, quomodo Deus iudicabit mundum? Sed Pererius falsam nobis affingit sententiā. Conzenii consequentia est inconsequens, cum velle sit Naturæ, malè velle culpæ, quam homo sponte contraxit, bene velle gratiæ, quam Deus in verbo omnibus offert.

13. Notanter dicit Apostolus, κατὰ τὴν σκληρότητα σου secundum tuam duritiam. Opponendum hoc Calvinianis, qui Deum ipsum in corde hominis duritiam efficere statuunt, cum tamen homo suis cupiditatibus & Satanæ suggestionibus obsequens sit sibi ipsi duritiei suæ causa, Deo iudicis duntaxat partes in induratione competunt.

14. Bellarminus lib. 5. de Justificat. cap. 3. Pererlus disp. 5. in cap. 2. n. 39. p. 279. Salmero, Cornelius à Lapide & Conzenius in h. v. merita operum ex verbis Apostoli, quòd Deus redditurus sit unicuiq; secundum opera, firmiter stabiliri arbitrantur. Sed respondemus verbis Gregorii Episcopi Romani in Pl. pœnit. Aliud est, secundum opera reddere, & aliud propter ipsa opera reddere. In eo enim, quòd secundum opera dicitur, ipsa operum qualitas intelligitur, ut cuius apparuerint opera bona, ejus sit & retributio gloriosa, probatur hæc responsio ex Apoc. 22. v. 12.

p. 6.

15. Stapl tonus ἀπὸ ἀδολοῦς sic colligit. Quamvū Christus factus sit nobis iustitia & sanctificatio 1. Cor. 1. v. 30. nihil tamen inde aliud deduci potest, quam eum per Spiritum gratiæ suæ nobis impartitum utriusq; causam esse efficientem. Si enim solus ista opera adferret, quib. vitam æternam persolvi hic Apostolus dicit, non debuisset dicere, reddet unicuiq; secundum opera sua, sed reddet unicuiq; secundum opera Christi.

p. 7.

16. Breviter dicimus, Apostolum hic non agere de justificatione ex Evangelio, sed de justificatione ex lege, ut sit sensus, legem promittere vitam æternam, sed sub conditione perfectæ obædientiæ. Quia verò propter carnis infirmitatem legem in hac vita nemo perfecte implet Rom. 8. v. 4. ideò promissiones legis nobis redduntur inutiles.

17. Quòd si per quandam accommodationem verba Apostoli ad justificationem ex Evangelio transferre velimus, potest illud fieri hoc sensu, quòd fide in Christum, qui nostri loco legem

A 3

imple-

implevit, justificati, debeamus in posterum ex fide bene operari & per patientiam boni operis gloriam & honorem quaerere h. e. in bonis operibus. ac in via mandatorum divinorum constanter ambulare, ut ultimam vitam aeternam possessionem per fidem ex gratia tandem consequamur; nam *κατασκευασθησθε & finis fidei est vita aeterna* Rom. 6. v. ult. 1. Petr. 1. v. 9. bona autem opera sunt *via regni, non causa regnandi.*

18. Ex quo etiam apparet, Pontificios ex hoc loco non posse probare, quod bona opera intuitu mercedis aeternae ex merito obtinenda sint facienda.

19. Salmero tom. 13. disp. 16. in comm. h. v. nobis tribuit, quod statuamus possessionem bonorum corporis & fortunae, tum in hoc, tum in futuro saeculo operibus justificatione insequentibus, ut meritorii unice adscribendam esse, id quod dicit, docere Apologiam Aug. Conf. Sed vocula merendi in Apol. Conf. Aug. in sensu latiori ac laxiori accipitur.

20. Idem Salmero disputat, de praemio accidentali certum esse, quod unus alteri possit promereri aliquam gratiam & pro peccatis, quibus expiari debuit, in purgatorio satisfacere, illum vero hoc, dum viveret, meruisse, ut dignus esse posset aliorum suffragio: quae omnia falsis nituntur hypothesebus.

21. Benedictus Justinianus ad v. 7. p. 106. sic annotat. Falli necesse est quosdam ex recentioribus haereticis, qui id propterea dictum putant, quod necesse sit eos, quospiam vivere volunt in Christo, persecutionem pati, cum significet in bono perseverandum esse usque ad finem. Atqui subordinata invicem non pugnant: Per *ὑπομονὴν καὶ πίστιν* intelligitur tum perseverantia in bono opere Matth. 10. v. 22. tum patientia quaedam gloriae suo tempore revelandae expectatio, quae *ὑπομονὴ* ac patientia ad pietatem maxime necessaria est, quia per multas tribulationes oportet nos ingredi regnum caelorum. Act. 14. v. 22.

22. Maledicta effundit Benedictus & injuriam nos afficit Justinianus ille, quando ibidem nos vocat blasphemos, propterea, quod justorum actiones coram Deo immania facinora esse dicamus; & demones, propterea, quod beatam illam sempiternamque vitam bonorum operum mercedem esse negemus.

v. 10.

23. Conzenius q. 1. ad v. 9. & 10. ejusmodi necesse argumentum. Nulli peccatori mortaliter peccanti reddet Deus vitam aeternam. At bene operantibus, reddet Deus vitam aeternam. Ego bene operantes, quales; non

les, non committunt peccata mortalia. Concedimus totū argumen-
tum, si de peccatis actū mortalib. quaestio sit:

24. Pererius disp. 6. ad v. ii. p. 156. sic annotat: *Deus non respi-
cit personas, sed merita.* Conzenius q. 1. ad h. v. itidem ex Dei *ἀποστο-
λου παλιψία* merita operum colligit; sed structuram illā ipsemet sub-
vertit, quando subjungit, *Deum operib. mercedem reddere non ex vi ope-
rum, sed ex boniguitate promittenti.*

25. Non est *ἀποστολου παλιψία* deputandum, quod Deus personæ
per fidem in Christum sibi reconciliatæ opera grata habet & ex
gratia remuneratur.

26. Cornelius à Lapide ad h. v. sic annotat. *Si Judæi peccan-
tib. parceret Deus, non autem gentibus; aut si Judæos bene agentes præ-
miaret, non autem gentes vel contra, non faceret contra justitiam distri-
butivā, nec peccaret, quia libertate & jure domini sui uteretur, nec enim
cupiam aliquid debet.* Ex eo sic colligimus: Si Deus salvā justitiā po-
test quosdam bene agentes non præmiare, ut Conzenio placet
loqui, utiq; bonis operibus non reddit mercedem ex merito. Itē
Si Deus aemini quidquam debet, utiq; operibus nostris apud
ipsum nihil promeremur.

27. Pareus pag. 231. & Piscator p. 859. strenuē laborāt demon-
strare, quod absolutum electionis & reprobationis decretū nō pugnet cum
Dei *ἀποστολου παλιψία*, cum Deus det quidem inæqualia aequalibus eligēs unū,
deserens alterum, sed primò nullā ductus externā personā vel causā in ho-
minib. latente, sed suā *ιδιαιτη*; deinde nullū legibus ulli sit obstrictus, sed
liberrimā gratia: deniq; citra cujusquā injuriam, cum omnes pariter reos
suo jure præterire & damnare poterit. Atqui hic discursus Antela-
psarios, qui decretum electionis non substernunt *πρόγινωσι* lapsus,
non absolvit; ac quicquid sit, si vel maximē Postlapsarii, qui de-
creto electionis substernunt *πρόγινωσι* lapsus, à crimine *ἀποστολου παλι-
ψίας* Deo attributæ sese utcumq; expediant, tamen Universalī Deī
misericordiæ calumniā struunt.

28. Salmero disp. 17. p. 341. *Audire dicit idē esse, quod audire cre-
dere, & auditores legis vocat, qui legem auditu fidei susceptam morib. nō
exprimunt, ex quo colligit, non sufficere fidem sine operib. ad salutem.*
Distinguimus inter fidem Historicam, quæ cum bonis operib. non
est perpetuò conjuncta, & inter fidem justificantem, quæ fiducialem
meriti Christi apprehensionem includit & cum bonis operibus
semper est conjuncta.

29. Conz

V. 13.

29. Conzenius *Solifideanorum*, quos ita vocat, *doctrinam verbis Apostoli, quod non audtores, sed factores legis justificentur, convinci, frustra sibi persuadet.* De perfecta legis observatione Apostolus loquitur, quæ si daretur, justificatio omnino esset ex lege.

30. Dominicus Sotus & Thomas Stapletonus de augmento justitiæ verba Apostoli exponunt, hoc sensu: *Qui justi sunt justificatione primâ, per observationem legis justificabuntur justificatione secundâ, h. e. proficient magis ac crescent in justitiâ.* Sed expositionem illam repudiat Pererius disp. 7. in hoc cap. 2. tanquam scopo Apostoli minimè convenientem.

31. Bellarm. lib. 2. de Justif. cap. 16. & Pererius d. 1. Cornel. à Lapide in h. v. ex trib. quas adferunt, expositionib. textui maximè congruam censent eam, quâ *factores legis dicuntur justificari i. e. in divino judicio justi æstimari ac declarari, quæ expositio, nobis non ad-versatur, nec ex illa inferri potest, quod Pererius ex ea deducit, videlicet nostram de justificatione corâ Deo per solam in Christum fidem doctrinam esse falsam.* Bened. Justin. illa Bellarmini, Pererii, Cornelii expositio non probatur unde ad h. v. sic commentatur. *Qui dicunt justificari hoc loco perinde esse, ac justum declarari ac pronuntiarî, malos omnino h. e. superioris seculi hereticos habent autores.*

32. Adducit ibidè Pererius expositionem Ambrosii, quæ sic habet: *Hoc dicit Apostolus, quia nō hi justi sunt, qui audiunt legem, sed qui credunt in Christum, quem lex promisit, & hoc est facere legem. Nemo autem facit legem, qui non credit legi & non recipit eum, cui lex testimoniū perhibet. Gentilis autē qui videtur exlex, si credit in Christum, fecisse legem dicitur. Judæus autē dicitur auditor legis & non factor, quia non credit in Christum scriptum in lege.* Hanc expositionem Pererius fateatur esse veram & piam, proposito tamen Apostoli & sententiæ verborum ejus non convenientem.

33. Soli obloquitur Cornelius à Lapide, quando negat hanc propositionem, *Factores legis justificabuntur, quoad sensum esse conditionatam.*

34. Stapletonus per quàm *in auditu* judicium legis & judicium Dei; Itemq; justificationē per legem & justificationē corâ Deo opponit.

35. Contra assertionem de *advanciâ* perfectè implendi legem Cornelius à Lapide ejusmodi argumentorū tela vibrat. *Esset hæc blasphemia in Deum, qui Tyrannicè impossibilia præciperet, & in Christum, quasi non sufficienter nos redemisset, ipsiusq; gratia esset infirma & inefficax ad*

64X ad

eae ad implendam legem & ad superandum peccatū. Sed resp. Deus in prima creatione perfectas vires homini dedit ad legem implendam, merito igitur Deus ab homine etiam, in peccatū & ad viciā implendi legem propriā culpā prolapsō, legis impletionem requirit. Christi beneficia non solum ex hac, sed etiam ex futura vita æstimanda sunt.

36. Valde nobis probantur, quæ habet Bened. Justinianus in comm. ad v. 13. *Jacobus vult ostendere, fidem, quæ verè justificat, non esse mortuā, sed suo tempore bonas atq; laudabiles functiones edere: quod perfectō nihil aliud est, quàm fidem, adeoq; ipsam justitiā esse veluti radicem, unde bonorum operum germina exoriantur & succrescant. Ut ergo planta idcirco satæ & cultæ sunt, ut suos fructus edant: sic fides & gratia justitiā tribuunt, ut bona deinde opera suo tempore subsequantur.*

37. Quòd gentes negantur habuisse legem de externa & solenni legis promulgatione intelligendū, quæ Judæorū propria Rom. 9. v. 4. interim gentes habuerunt legem cordib. suis inscriptam, ut v. 15. statim subjicitur.

v. 14.

38. Notanter dicit Apostolus de gentibus, non quòd faciant legem h. e. perfectè eam impleant, quo sensu phrasis *προσκειν νόμου* in v. præced. accipitur, sed quòd faciant ea, quæ sunt legis, quia duntaxat particulam quandam de externis legis operibus habent. Proinde illud *προσκειν* tantum particulariter intelligendum, tum ratione quorundam duntaxat gentilium saniorum, tum de externa erga legem observantia.

39. Errat Pererius, quando in comm. h. l. statuit, *Apostolum loqui de gentilib. conversis, qui naturaliter h. e. Naturā per Christum renovatā legem implent.* Ejusdem erroris confors est Estius, qui hunc locum de gentilibus ante & post Christum conversis intelligit.

40. Salmeronitidē suspicatur, *Apostolo sermonem esse de gentilibus legē observantibus ex gratia concessa, non absq; Dei gratia vel fide existentibus, habuisse v. dicit eam fidem, quæ satū eo tempore erat, ut quod Deus est & inquirentib. se remunerator sit Hebr. 11. quæ fides tamen, si nostræ comparetur fidei, ob parvitatem suam agrè dicenda fides sit.* Tales gentes fuisse dicit, *Jobum, Melchisedecum, Jethrum, Naamanem Syrum, Cornelium Eunuchum & mulieres honestas. Act. 17 Hanc suam sententiam probat, 1. quia dicantur facere legē. Jam v. propositio indefinita æquipollet universali. 2. quia ille non dicatur facere legem, qui in principaliori deficiat. De gentib. verò prius asseritur. 3. quia n̄ potius dicitur violare*

B

quāns

quàm servare legem, qui eandē ad legislatorū mentem nō observat. 4 quia hoc conscientia testimonium sit valde exiguum, cum aliunde conscientia dicter, alia praecepta esse implenda, aut saltem alio modo implenda. Sed qualis thesis, tales etiam sunt probationes.

v. 15.

41. Scriptio legū, de qua hoc loco Apostolus agit, distinguenda est à scriptione illa, cujus fit mentio Jerem. 31. v. 33. differunt enim 1. ratione materiae. Apud Jeremiam intelligitur praecepta doctrina Evangelii, hinc v. lex naturalis. 2. ratione cause efficientis. Illa scriptio est à Spiritu sancto, hæc à Natura. 3. ratione objecti. Illa est credentium propria, hæc omnib. hominibus communis. 4. ratione effecti. Illa reddit Deo gratos, hæc ἀναπλογύτεια

42. Conzenius ad h. v. sic annotat. Refutat Apostolica hæc sententia hæresin illorum, qui dicunt, omnia bona facta esse peccata. Esset enim opera precium gentes ab omni officio, omni curâ honesti deterrere, imò à studio cognoscendi Dei & virtutis intelligendæ prorsus avertere cum per omnia, qua quocunq; modo faciunt, mortaliter peccent, & ira divina thesauros sibi accumulent. At nemo nostrum docet, virtutes gentilium, quoad substantiam operis & formaliter esse peccata.

v. 16.

43. Quòd Apostolus Evangelium à se prædicatū vocat suum Evangelium, ex eo refellitur argumentum Pontificiorum, quod sic habet. Baptismus à Johanne administratus vocatur Johannis Baptismus. Ergo Baptismus ille non gaudet divinâ institutione.

44. Ex hoc vers. Cornelius à Lapide evincere laborat, ad Evangelium pertinere non solum prædicationem fidei, gratia & salutis per Christum promissa, sed etiam justitiam judicii, quo Deus reddet unicuiq; secundum opera. Conzenius eodē modo progreditur. Concidat, inquit, hic Fiduciariorum contumacia, qui putant, Evangelium omnib. minis & terrorib. cavere, atq; unicâ promissione justitiæ imputata, aeternæq; vitæ contineri. Distinguere debebant inter vocem Evangelii ἰδικῶς & ποιῶς acceptam.

v. 20.

45. Dominicus Sotus per μορφωσιν τῆς γνώσεως intelligit externā & apparentē quandā speciē cognitionis, quo sensu 2. Tim. 3. v. 5. μορφωσιν τῆς εὐσεβείας vocatur. Sed rectiùs accipitur pro norma & forma veræ cognitionis in lege expressa. Nā 1. Apostolus nō simpliciter dicit, Judæum habere μορφωσιν τῆς γνώσεως, sed etiam addit τῆς ἀληθείας. 2. hanc formā cognitionis & veritatis dicit expressam haberi in lege. Ecquis verò dicere velit, haberi in lege tantummodo apparentē quandam speciem & quasi spectrum cognitionis ac veritatis?

3. Apo-

3. Apostolus adhuc versatur in enumerandis Judæorū prærogati-
vis, & illis quidem non falsis, sed veris, postea demùm eò descen-
dit, ut illos arguat, quòd prærogativis illis indignos se præstaret.
Colligitur igitur ex h. l. argumentum, quo probari potest, legem
divinam esse perfectam cognitionis & veritatis h. e. veræ cog-
nitionis normam ac regulam.

46. Conzenius ad h. v. annotat: *Quedam peccata adeò levem de-
fectum habere, ut inimicitiam Dei nequaquam mereantur.* Sed legis ju-
diciū longè aliud. Deut. 27. v. 27. Gal. 3. v. 10.

v. 23.

47. Dn. Chemnicus in Harmon. Evang. cap. 12. p. 249. sic
scribit: *Utilis est regula ad illustranda multa Scripturæ loca, quòd
Prophetia seu Scriptura intelligitur impleri. 1. quando illud fit, quod Scri-
ptura in loco allegato proprie & simpliciter prædixit & intelligi vult.
Matth. 1. v. 23. 2. quando simile aliquid fit, quod cognationem habet cum
re præterita. Matth. 13. v. 35. 3. quando Scriptura non de uno aliquo fa-
cto certo loquitur, sed tradit doctrinam generalem, illa dicitur toties im-
pleri, quoties & in quibuscunq; illud fit, quod Scriptura dicit. Matth. 15.
v. 7. cap. 13. v. 14. 4. Multæ sententiæ Scripturæ loquuntur & de capite
& de membris. Rectè igitur dicuntur impleri, quando accommodantur si-
ve ad membra, sive ad caput. Os. 11. v. 1. Matth. 2. v. 15.*

v. 24.

48. Pererius Disp. 17. p. 200. ex h. v. colligit, *falli hereticos no-
stri temporis omnem vim & rationem justitiæ adimentes bonis operibus &
observantiâ legis impossibilem esse dicentes, cum Apostolus hoc loco doceat,
posse ab homine legem observari & consummari.* Resp. Scopus Apostoli
est docere, quòd Circumcisio, quando non usurpatur, ut signa-
culum gratiæ justitiæ fidei Rom. 4. v. 11. sit obligatio totius le-
gis servandæ. Gal. 5. v. 3.

v. 25.

49. Requirebat quidem sædus in circumcissione initium legis
impleti nē Gen. 17. v. 1. sed quod Circumciso deerat, hoc ex per-
fecta Christi satisfactione circumcisos fide desumere, sibiq; ap-
plicare poterat, quia Circūcisio ex divina institutione erat com-
monefactio & sigillum venturi benedicti seminis, erat Sacra-
mentū initiationis ac medium regenerationis. Quotquot ergo
ex circumcisis Christi satisfactionem & meritū sibi applicabant,
coram Dei judicio pro iis, qui legem impleverant, habebantur.

50. Hunc verum Circumcisionis usum cum Judæi negligenter, ac Cir-
cumcisionem susciperent tanquam partem legalis obedienciæ, per quam
salutem sibi pollicebantur, ideò meritò Apostolus illis hoc opponit, *Cir-
cumcisionem quidem prodesse, si quis legem observet, videlicet vel per seipsum*

B 2

totam

totam legem implendo, vel Christum legis finem fide apprehendendo, quoru
rū neutrum cum Judæi facerent, ideò Circumcisio illis non proderat, sicut
Apostolus hoc loco dicit, quòd ipsis *Circumcisio versa fuerit in præputium.*

¶. 26. 51. Quærenti, *quomodo gentiles præputium habentes potuerint legem cu-
stodire?* respondemus, vel loqui Apostolū de gentibus ad Christum conver-
sis, quæ in obœdientia mandatorum divinorum etiam sine Circumcisione
ex fide ambulabāt: vel ex hypothese tantum loqui. Si daretur talis gentilis,
qualis potuisset dari, nisi per lapsum primorum parentum tota hominis
Natura peccato esset corrupta.

52. *Δικαιοσύνην* appellatio legi attributa non probat quòd infert Cor-
nelius à lapide, videlicet *ex operibus legis renatos coram Deo justificari.*

¶. 27. 53. Stapletonus ex hoc loco contra nos colligit *professionem fidei absq;
operibus bonis & legis divinæ observatione ad salutem non sufficere.* At quid opus
erat argumentorum fiducialis à nobis extorquere velle, quòd sponte fate-
mur, ita sc. edocti à Jacobo cap. 2. v. 14.

¶. 29. 54. Conzenius *Judæum in occulto imperfectè definit, quòd animus ejus
pravus affectibus amputatus sit circumcisus.* Judæus in occulto est, qui interior
re cordis fide Messiam Judæis promissam amplectitur, qui spirituali vincu-
lo electo Dei populo conjunctus est, qui interiùs per Spiritum S. est reger-
neratus & hac ratione filius Dei & heres vitæ æternæ factus est.

55. Pererius p. 201. disputat, *spiritualem cordis Circumcisionem penitus
convellere dogma hæreticorum, quòd per justificationem hominū non auferan-
tur ei peccata, sed eadem maneat, qua priùs non tamē ei imputentur ad condē-
nationem.* Si enim in homine justificato maneat eadem peccata semper dum hæ-
bit, ergo non est ab istis circumcisus. Sicut enim corporalis Circumcisio fit au-
ferendo & ressecando particulā quandā carnis: ita spiritualis fit auferendo vi-
tia malaq; cupiditates animæ & ab his vacuā eam puramq; reddendo. Desum-
sit hoc ex Stapletono, qui itidē statuit *justitiā imputatīvā per Circumcisio-
nem cordis in Spiritu penitus tolli, cum permanentem impuritatem disertè po-
nat.* Resp. cum regeneratione arctissimo nexu renovationem conjungimus
Sed renovationē in hac vita perfectam esse negamus, ita sc. edocti ab Apo-
stolo 2. Cor. 4. v. 16.

56. Tolerus minùs rectè per *Spiritum animam, per literum corpus h. l.*
intelligit.

57. Colligimus ex hoc versiculo contra Pontificios, Circumcisionē in U-
T. fuisse efficacē & salutare mediū, per quòd infantes in foedus gratiæ rece-
pti, & regenerationis ac renovationis participes fuerint facti. Verus Judæus
est, inquit Apostolus, qui habet cor circumcisum, atq; ea demū est vera
Circumcisio, quæ fit in Spiritu, in corde. Jam v. infantes Israëliti circum-
cisi fuerunt veri Judæi, & Circumcisio eorū fuit vera Circumcisio, siquidē
actuali impoenitentia & incredulitate Spiritui sancto non resisterūt. Ergò
Spiritu in cordib. sunt circumcisi h. e. regenerati & renovati, alioqui corā
Deo non solū ab Ethnicis non distarent, sed etiam illis pejores essent, ut
pote præputium cordis Circumcisione carnis occultantes.

58. Ex distinctione Apostolica inter *Circumcisionem carnis & cordis* non
potest probari duplex *Baptismus* Calvinianorum, nec eorundem *gemma in
Eucharistia manducatio*, quam Pareus p. 217. asserit. Sensu orthodoxo

¶. 301. **Baptismum interiorem & exteriorem, itemq; manducationem
Sacramentalem & spiritualem non negamus.**

Exeg. C. 331, 23